



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Dispvt. XVIII. De terminis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)



TRACTATUS IV. DE TERMINO. PROPO- SITIONE, ATQUE ARGV- MENTATIONE,

Deque eorum speciebus, quæ sunt veluti materiâ,
ex quâ omnis scientia humana coalescit.

IN hoc Tractatu de termino, propositione, atque argu-
mentatione tum obiectiuis, tum formalibus, hisque
tum mentalibus, tum vocalibus, siue scriptis agen-
dum nobis est: obiectiua enim, & formalia, quod ad
rem attinet vicissim sibi lucem præstant. Dicimus au-
tem formalia impræsentiarum tum actus nostrarum intellectuum,
tum voces siue prolatas, siue scriptas ipsis correspondentes; quæ proinde
in mentalia, vocaliæque, aut etiam scripta diuiduntur: obiectiua au-
tem sunt ipsi conceptus obiectiui, in quos tendunt, quosve respiciunt,
seu circa quos versantur formalia. Porro in hoc Tractatu, qui bonam
partem continet Logica, ab innumeris inutilibus controuersis, quibus
Moderni Logicam implicarunt, omnino abstinebo. Logica enim vera,
& legitima, quam tradere studeo, contentiosa non est; sed certis re-
gulis, & ut implurimum apertè demonstratis subnixâ.

DISPUTATIO XVIII.

De terminis.

QUOS terminos nuncupant Logici, di-
ctionibusque, siue vocabulis Gram-
maticorum correspondent, veluti pri-
ma elementa sunt, ex quibus omnis
scientia humana compingitur, sum-
pri videlicet tum pro conceptibus formalibus,
tum pro obiectiuis: quo pacto hi conducunt ad
scientiam: tum etiam pro vocibus, quæ eorum
loco nobis sunt. De istis igitur est disputatio præ-
sens.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit terminus.

TERMINUM voco cum Arist. lib. 2. Prior. cap. 1. in
quem resolutur propos. atque aded. in quem
terminatur propositionis resolutio; puta aptitu-
dinaliter, ut plerumque definitiones accipi solent.
Ab eo quippe videtur terminus dictus, quod ter-
minat, seu quod terminare valet propositionis re-
solutionem. Est autem propositio oratio enunciativa,
siue suasiua; atque adeo habens veritatem
vel falsitatem, prout explicabimus *disp. seq.* Resolu-
tio verò vniuersè est cuiusvis totius in suas partes
diuisio. Vnde, resolutio propositionis erit diui-
sio propositionis in suas partes. Quare, idem om-
nino sunt terminus, & pars aptitudinalis propo-
sitionis, id est habens potentiam, seu aptitudi-
nem

nem ad componendam propositionem, & consequenter ad terminandam resolutionem eius. Aut certe, ut multas inutiles controuersias, quas hic Recentiores excitant, vno ictu præcidam; terminum ego apello vniuersè, deincepsque appellabo semper, quamlibet partem aptitudinalem propositionis.

Quamlibet, inquam partem aptitudinalem propositionis logicam, siue cuius dumtaxat apud Logicos habetur ratio: quales sunt ex vocalibus dictiones inter se distinctæ & ex mentalibus conceptus tum formales, tum obiectiui distincti etiam inter se. Quamquam enim dictiones, & consequenter propositiones ex eis compositæ ex litteris insuper, & syllabis componantur: quia tamen compositio hæc non sub logicam; sed sub grammaticam considerationem cadit, ideo litteræ, & syllabæ nec partes logicæ propositionis, nec termini dicendæ veniunt; sed integræ dictiones dumtaxat. Et quamuis conceptus obiectiui sæpe non sint partes re ipsâ, & phylicè propositionis obiectiue; sed tantum per rationem nostram, seu logicè; termini nihilominus distincti inter se dicendi veniunt: quia ad id distinctio eorum rationis, seu logica sufficit.

Itaque terminus in vniuersum dicitur quælibet dictio apta ad componendum simul cum aliis propositionem siue vocalem, siue scriptam, & quælibet apprehensio simplex ei correspondens apta ad componendum simul cum aliis propositionem mentalem, quam vocant formalem; & quilibet conceptus obiectiui correspondens vtrique aptus ad componendum simul cum aliis distinctis à se, seu realiter, seu per rationem propositionem obiectiuam. Qui omnes sub Aristotelica termini definitione aptitudinaliter sumpti comprehenduntur, quæ, ut sic, in hanc recidit, iuxta dicta: *Terminus est pars aptitudinalis propositionis*, nimirum logica, seu cuius consideratio spectat ad logicos, vti explicuimus. Ex quo patet, nullam eiusmodi partem quoquo modo constitutiuam intrinsecè propositionis, siue vt extremum, siue vt copula extremorum, siue aliter quomodolibet à ratione, siue conceptu termini excludi debere.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit terminus.

Terminus sumptus vniuersè, quâ ratione q. 1. definitus est, multifariam venit diuidendus, vt sequitur.

Diuisio I.

Primò enim diuiditur terminus in mentalem, vocalem, & scriptum.

Mentalis dicitur; qui in mente, siue intellectu nostro suam sedem habet. Hic autem est duplex: alius formalis consistens in apprehensione simplici, quâ intellectus quilibet apprehendit; alius obiectiui consistens in obiectiui conceptu per ipsam apprehensionem simplicem apprehenso. Vterque autem rursus diuiditur in vltimatum, & non vltimatum. Vltimatus dicitur, qui concipitur de quâvis re significatâ per vocem: non vltimatus, qui concipitur de ipsâ voce significante rem.

Iam verò terminus vocalis quælibet dictio est apta componere propositionem prout ore prolata. Terminus verò scriptus eadem dictio prout scripta. Vterque autem (qui vt condistinctus ab obiectiui significato per illam formalis etiam dici solet) signum quoddam ad placitum est alicuius terminalis tum formalis, tum obiectiui, significans scilicet obiectiuum quidem primariò, & directè; formalem autem ipsi correspondentem secundariò, & indirectè; id quod terminus vocalis prestat per se immediatè: Scriptus verò medio vocali, ad quem immediatè significandum est institutus. Quæ omnia, vt perspicua fiant,

Noto primò: Signum ab August. lib. 2. de *Doctrina Christ.* cap. 1. & lib. de *principiis dialecticæ* cap. 5, sic definiti. *Signum est, quod se ipsam sensui, & præter se aliquid aliud animo manifestat.* Ex quâ definitione communiter recepta constat, signum aliquid sensibile debere esse, per quod cognitum intellectus ducatur ad cognoscendum aliud. Vnde cognitio ipsa, quæ non prout cognita; sed per se formaliter manifestat obiectum improprie ab aliquibus appellatur signum formale, appellantibus signum instrumentale id, quod August. definiuit. Et quod dumtaxat loquendo proprie signum absolute, & simpliciter videtur dicendum. Tamen nonnulli signum latius accipiant pro omni eo, quod quoquo modo dicit in alicuius veritatis cognitionem. Quâ acceptione suppositâ, diuisio signi in formale, & instrumentale locum habebit. Verum in his solum potest esse dissidium de modo loquendi. Videatur noster Lynce *rem. 1. sue Philosophiæ*, lib. 6. tract. 1. cap. 1. & 2.

Est autem signum in primis triplex. Aliud naturale; aliud ad placitum; aliud ex consuetudine. Naturale est quod naturâ suâ notificat aliud; vt fumus ignem, gemitus dolorem, risus letitiam, & alia huiusmodi. Ad placitum est, quod ex hominum institutione aliud notificat, vt ramus pro ferribus appensus vinum vendibile; sonitus cymbali sacrorum celebrationem; voces, & scripturæ res cognoscendas; & alia id genus. Voces quippe non naturalia, vt quidam Pythagorici voluerunt; sed ex arbitrio hominum, atque adeo ad placitum signa essentur, certa cæterorum omnium sententia est: cum quo stat earum aliquibus; accepto à rebus significatis aliquo fundamento, fuisse significationem impositam, ob analogiam scilicet quamdam, quam earum sonus cum ipsis rebus habet. De quo videndus Lynce *suprà tractat. 2. cap. 2.* Ex consuetudine denique signum dicitur, quod suppositâ consuetudine oriundâ ab hominum arbitrio aliud notificat quoquo modo; vt mappa super mensam extensa prandium mox futurum: & vniuersum quilibet solitum ab hominibus fieri id, quod ex eo regulariter sequi solet. Deinde, signum ad placitum aliud doctrinale est; aliud artificiale. Doctrinale dicitur, quo vtimur ad manifestandum aliis, quæ interius noscimus; & ad doctrinas propterea, seu scientias comparandas subleuit: huius generis sunt voces siue prolatae, siue scriptæ. Artificiale autem dicitur, quo alterius negotij peragendi admonemur, cuiusmodi sunt ramus appensus, sonitus cymbali, & similia. Relictis ergo cæteris signis, agendôque de solo signo ad placitum doctrinali.

Noto secundò: Etsi nonnulli videantur docere, per terminum vocalem ita significari vtrumque mentalem, formalem scilicet, & obiectiuum, vt primariò, & immediatè formalis, secundariò autem

tem, & mediata obiectiue significetur; communem tamen, & veram sententiam esse, utramque significari immediate: Ita tamen, ut obiectiue primario, & directe; formalis vero secundario, & indirecte significetur. Quod certe non ita intelligendum est (sicut multi intelligunt) ut impo- nentes significationem vocibus solum intenderint per eas significare res cognitae, indeque per acci- dens, & praeter intentionem sequatur, ut ipsas etiam cognitiones significant. Hoc enim falsum est. Intenderunt etenim commercium hominum, iuxta Aristotelem in Politicis, Plat. in Cratilo, & omnes, quod maxime in communicatione, & manifestatione cognitionum internatum consistit; sed ita est intelligendum, ut ex primaria inten- tione intenderint significare res prope cognitae, quod est intendisse significare utrumque, res scilicet, & earum internas cognitiones; res tamen di- recte, cognitiones vero in obliquo, siue de con- notato. Quo fit, ut voces diuerso modo res, at- que earum cognitiones significant; pro rebusque subinde, non item pro cognitionibus accipian- tur. Quo, quaedam sententia manet reiecta, quam Lynce supra tract. 2. cap. 3. conatur contra com- mune adstare. Significat itaque terminus vo- calis utrumque mentalem, formalem scilicet, & ob- iectiuum per se primario, & directe, quantum est ex parte intentionis significationem eius insti- tuentis; quantum vero est ex parte modi signifi- candi, directe quidem solum significat obiecti- uum; formalem vero ex connotato, siue indirecte, atque ita pro obiectiuo solum accipitur, siue usurpatur, siue supponitur. Utrumque tamen significat modo dicto immediate, in quo differt a termino scripto. Termini enim scripti, licet sint pariter instituti, sicut vocales, ad significanda ob- iecta cognita directe, & cognitiones eorum de connotato, ut explicatum est. Hoc tamen non immediate; sed mediis ipsis vocalibus praestant, quos immediate significant, significando eorum syllabas ore prolatas per coniunctionem literarum, ex quibus constant. Ob id paucis litteris omnia vocabula omnium linguarum scribi possunt mediisque illis per terminos scriptos eis respon- dentes omnia ipsorum obiecta significari. De quo valde mirati sunt. Sina qui cum suis terminis scrip- tis non immediate vocales; sed obiecta eorum si- gnificarent, tot figuris diuersis ad suas scripturas indigebant, quot erant obiecta significanda per scripturas ipsas. Vnde oriebatur, ut vix posset ho- mo per totam vitam discere integram artem scri- bendi, isque proinde doctior haberetur, qui plura scribere, eorum depictis figuris sciret. Ob id etiam omnia vocabula omnium linguarum scripta ab iis itidem, qui eorum significationum ignorant, legi possunt. Quocasu legentes scripturam plane sciunt quid termini scripti significant immediate nempe vocabula, nescientes, quid significant mediate, nempe obiecta per ipsa vocabula significata. Ex quibus patet, quid, & qua ratione significant termini vocales, & scripti.

11 Porro termini vocales (tamenque de scrip- tis, sua seruata proportionem censendum est) ad duo capita reuocantur, nempe ad Nomen, & Verbum. Nomen, iuxta Arist. lib. 1. Periherm. cap. 2. est vox significatiua ad placitum sine tempore; cuius nulla pars significat separata. Per particulam sine tempore distinguitur nomen a verbo, iuxta statim dicenda; subsequenter autem sensus est, nullam partem nominis sumptam seorsim significare quidpiam,

dum nomen cum aliis componit, praeter id, quod omnes significant simul, & indiuisum; id namque proprium est partem cuiusvis vocabuli simplicis lo- gice, quale nomen est. Vnde, rursus fit, ut nulla pars nominis, aut cuiusvis vocabuli simplicis lo- gice significet separata ab aliis, id quod simul, & indiuisum iuncta cum aliis significabat. Vocabu- lum quippe logice simplex est, quod simplicem si- gnificationem habet, id est, indiuisum conuenien- tem omnibus syllabis; atque adeo partibus eius, quasi physicis, ut sunt *Homo, Angelus, Lapis*, &c. cum tamen complexum, siue compositum logice sit, quod habet significationem compositam quia coalescit ex pluribus vocabulis seorsim propriam significationem habentibus, ac retinentibus intra complexum ipsum, siue compositum ex illis, ut sunt: *Homo doctus: Angelus fortis: videns lapi- dem*, & similia. Omitto duas alias particulas, qui- bus definitionem nominis propositam limitat Ari- stoteles; quia puro, aptius eam absque tali limita- tione relinqui, ut omnes dictiones logice sim- plices praeter verbum, reductae ad vnum nomen possint sub illa comprehendi: quod ad nomen, & verbum, prope oportet, omnes vocales ter- mini reducantur compendij simul, & claritatis causa.

Est autem verbum ex eodem Aristotele supra 12 cap. 3. *Quid significat tempus, cuius nulla pars significat seorsim; & est semper eorum, quae de altero praedicantur, nota.* Dicitur autem verbum con- significare tempus: quia proprium obiectum eius est actus, prope habens actualiter esse in aliqua differentia temporis praesentis, praeteriti, aut fu- turi, prope ex dictis latius supra distinct. 2. quaest. 4. praeterim hypoth. 4. compertum est, in quo pos- simum discriminatur Verbum a Nomine. Dicitur deinde esse semper notam, siue signum eorum, quae de altero praedicantur: quia in quavis omni- no propositione, potissimum, propriissimumque praedicatum est semper significatum verbi, ut in eadem etiam quaest. 4. coniect. 1. latius est explica- tum. Nullam autem esse possibilem propositionem vocalem sine verbo, sicut nullum est possibile iu- dicio, quod non habeat pro obiecto significa- tum verbi, ex doctrina eiusdem quaest. 1. quae ad rem recolenda, palam est. Cetera, defini- tionis particula ex se, & ex dictis satis sunt notae.

13 Haec dicta de terminis vocalibus, & scriptis significatiuis, siue aliud a se significantibus, qui propterea proprie sunt signa. Sunt tamen insuper termini dictiones non significatiuae, siue aliud a se non significantes, quatenus pro se possunt po- ni in propositione, ut si dicas: *Blitum est vox.* Quo etiam pacto dictiones significatiuae pro se in propositione posita termini sunt, ut si di- cas: *Homo est nomen.* De quo iterum redibit ser- mo, quaest. 3.

Diuisio 2.

Terminus vniuersè sumptus in subiectum, & 14 praedicatum propositionis diuiditur.

Quae diuisio a munere, quod exercet terminus intra propositionem subiecti, aut praedicati de- sumitur. Est autem subiectum id, de quo aliud, vel affirmatur, vel negatur; praedicatum autem id, quod vel affirmatur, vel negatur de ipso subie- cto. Omnis quippe propositio immediate ex sub- iecto, & praedicato composita est. Erunt autem subiectum, & praedicatum aut vocalia, aut scri- pra,

per, aut mentalia siue formalia, siue obiectiua penes naturam propositionis ex illis compositae aut vocalis, aut scriptae, aut mentalis, siue formalis, siue obiectiua. Et pradicatum quidem potissimum propositionis vocalis semper est verbum; mentalis autem obiectiuae significatum verbi, ut dicebam paulo ante. Sicut semper est subiectum potissimum illius quidem nomen, huius autem significatum nominis. Quanquam enim aliquid spectans ad verbum interdum pro subiecto ponatur, ut cum dicimus: *intelligere est bonum*, tunc id non per modum verbi; sed per modum nominis ponitur, ut satis ex se apparet. Nil tamen veritat cum verbo ex parte pradicati poni aliquid, aut aliqua nomina, & cum nomine ex parte subiecti poni aliquid, aut aliqua verba, ut quaedam syncategoremata pradicati, & subiecti; saepe enim subiecto categorematice, quod potissimum subiectum dicimus, & pradicato categorematice, quod potissimum pradicatum vocamus, nonnulla syncategoremata solent apponi, ut iam iam explicabo. Etenim.

Diuisio 3.

- 15 Terminus vniuersè etiam sumptus alius categorematicus, & alius syncategorematicus est: quorum primus categorema, secundus syncategorema solentem vocari.

Terminus categorematicus dicitur, qui per se solus potest poni in propositione tanquam subiectum, aut pradicatum eius, ut *homo: Petrus currit, legit, & similes*. Terminus verò syncategorematicus est, qui non per se solus; sed tantum aliis adiunctus potest poni in propositione ex parte subiecti, aut pradicati, ut *hominis, Petri, velociter, tarde, qui, & alij huiusmodi*; saepe autem integra aliqua propositio est syncategorema alterius, ut *Petrus, qui currit, mouetur: homo legit librum, quem emit, &c.* Quomodo autem syncategorema aut ex parte pradicati propositionis posita ipsam propositionem constituent: arque adeò diuersam faciant, sub eiusque aut affirmationem, aut negationem cadant, ex dictis *disput. 2. quest. 4. consuet. 5.* sumendum est.

Diuisio 4.

- 16 Terminus vniuersè etiam sumptus alius est abstractus, alius concretus, alius adiectiuus, alius substantiuus, alius absolutus, alius relatiuus, alius connotatiuus.

Abstractus dicitur ille, qui prae se fert aliquid quasi secundum se praecise consideratum, ut *potentia, lectio*. Concretus verò ille, qui prae se fert idem ut coniunctum cum alio quopiam, tanquam cum subiecto, ut *potens, legens*. Terminus autem substantiuus est, qui dicit ex aequo, & directe quaecumque dicit, ut *homo corpus, & animam; potens sumptum pro composito ex subiecto, & potentia. Adiectiuus autem est, qui dicit vnum in recto, & aliud tanquam adiectum illi in obliquo; potens sumptum pro habente potentiam: legens sumptum pro exequente lectionem. De quibus plura dicta *supra disput. 2. q. 4. praesertim consuet. 3.* videanda sunt. Terminus absolutus est, qui prae se fert aliquid sine respectu ad aliud, ut *homo, Angelus*. Relatiuus, qui cum respectu ad aliud, ut *puer, Dominus*. Connotatiuus denique, qui cum connotatione alterius, ut *coexistens, continuus*.*

De quibus etiam plura *loc. cit. & disput. 14. questione 1.*

Diuisio 5.

Terminus vniuersè etiam sumptus alius est singularis, alius communis, & uterque aut positius, aut negatiuus. Communis autem alius est distributus, alius collectiuus, alius vagus, alius indefinitus. Tum alius transcendens; alius non transcendens.

Singularis est, qui solum conuenit vni indiuiduo, ut *Socrates, hic homo*: Communis, qui conuenit pluribus, ut *homo, animal*. Positiuus, qui aliquid ponit in rebus, ut *Socrates, homo*. Negatiuus, qui aliquid remouet, ut *negatio, cecitas*. Distributus autem est terminus communis, qui ligno aliquo vniuersali, vel praeui negatione affectus, plura, & singula, quibus conuenit diuisiue, siue distributiue dicit; ob idque etiam diuisiuus, siue distributiuus vocatur, ut *omnis homo, nullus lapis*, ipseque lapis in hac propositione: *Socrates non est lapis*. Collectiuus verò est, qui aut nullo signo, aut vniuersali affectus; plura, quibus conuenit, dicit collectiue, siue indiuisum: ut *multitudo, numerus, & omnes Apostoli* in hac propositione: *Omnes Apostoli sunt duodecim*. Vagus est, qui affectus signo aliquo vago, seu disiunctiuo ex plura, quibus conuenit, dicit vagè, seu sub disiunctione, id est, vnum, vel aliud, vel aliud, &c. omnibus recensitis; ut *Aliquis homo: quoddam animal*, qui etiam terminus particularis, & signum, quo afficitur particulare dici solet à Logicis; ceterique termini, prout distincti ab illo, determinati nuncupantur: quia non vagè, sed determinatè dicunt quaecumque dicunt, siue plura sint, siue vnum. Indefinitus denique terminus est, qui, cum sit communis, nulloque signo affectus indifferens ex modo suo significandi manet, ut modo pro vno, eoque, vel determinato, vel vago; modò pro multis, illique, vel pluribus, vel paucioribus supponatur, iuxta naturam aliorum terminorum, quibus adiungitur, ut tamen ipsa, & in actu exercito nunquam cum ea indifferentiā, atque adeo neque indefinitus existit: huiusmodi sunt *homo, animal, & ceteri termini communes*. *Animal*, enim in hac propositione: *Aliquis homo est animal*, accipitur pro vno animali vago, quod cum homine ex parte subiecti vagè sumpto identificatur. In hac verò: *omnis homo est animal* accipitur per quandam distributionem accommodam pro omnibus animalibus, quae sunt identificata cum hominibus, non item pro reliquis, iuxta dicenda *quest. 3.* & in hac: *Nullus lapis est animal* pro omnibus omnino animalibus distributiue. Patiturque in ceteris. Iam verò terminus transcendens est qui de omnibus partibus seu physicis, seu metaphysicis eorum omnium, quibus conuenit, formaliter dicitur, ut *ens, bonum*: Non transcendens autem, qui non item; ut *viuens, animal, &c.* De quibus omnibus plura in *superioribus disput. 2. q. 3. & disput. 9. q. 2. & disput. 10. q. 2. & disput. 17. q. 20.*

Diuisio 6.

Terminus vniuersè etiam sumptus alius est simplex, siue incomplexus; alius complexus.

Simplex est, qui ex aliis terminis non est compositus, tametsi componatur ex partibus, quae non sunt termini, iuxta ea, quae in *precedentibus* diximus. Com

Complexus verò est, qui ex aliis terminis est compositus quouis modo. Vnde, terminus complexus, & oratio in idem recidunt, quod ad rem attinet. Si tamen oratio sumatur non solum pro aggregato plurium dictionum, ut etiam sumit Arist. lib. 1. *Periherm.* cap. 4. sed insuper pro aggregato plurium conceptuum, tum obiectiuorum, tum formalium ipsis dictionibus respondentium, ut sumi impræsentiarum expediet, ut quemadmodum terminus complexus, ita etiam oratio in mentalem vocalem, & scripturam, tursusque mentalis in formalem, & obiectiuam diuidenda veniat, iuxta dicta *diuisi.*

Diuisio 7.

19 Terminus vniuersè etiam sumptus, alius primæ, alius secundæ intentionis est.

Terminus primæ intentionis est, qui præ se fert aliquid reale, ut *homo*, *Angelus*, *lapis*, &c. Terminus verò secundæ intentionis est, qui præ se fert aliquid rationis, siue oriundum ab intellectu, ut vniuersale, genus, species, &c.

Diuisio 8.

20 Terminus sumptus specialiter pro vocali, atque etiam pro scripto, alius est vniuocus; alius æquiuocus; alius analogus; alius denominatiuus. Tum alius primæ, alius secundæ impositionis. Tum alius finitus, alius infinitus.

De vniuoco, æquiuoco, analogo, & denominatiuo satis est dictum *disp.* 17. q. 12. Terminus primæ impositionis dicitur, qui significat res, ut *homo*, *lapis*, &c. Secundæ verò impositionis, qui significat voces significantes res, ut *Nomen*, *Verbum*, &c. Terminus finitus dicitur, qui determinat id, quod significat, ut *Homo*, *Angelus*. Infinitus autem, qui non determinat id, quod significat, sed id, quod non significat, ut *non Homo*, *non Angelus*, sumptæ particulam non infinitanter; non verò negatiue. Priori enim modo sumptæ, *non homo* significat cetera omnia præter hominem; posteriori autem modo sumptæ, *non homo* significabit negationem hominis dumtaxat. Quo secundo modo sumitur semper, quoties iungitur verbo, & negatiuam reddit propositionem, cuius verbum potissimum est prædicatum, iuxta dicta 7. 12.

Diuisio 9.

21 Termini pluraliter sumpti, alij sunt pertinentes, alij impertinentes. Pertinentes autem alij sequela, alij repugnantia sunt tales. Rursus pertinentes sequela, alij conuertibiles sunt, alij non conuertibiles.

Hæ locutiones sunt logicorum fundatæ in connexionione, oppositioneque terminorum. Quare satius foret eos in connexos, & non connexos in oppositosque, & non oppositos diuidere; diuisa subinde connexionione, oppositioneque eorum in suas species, iuxta dicta à nobis *supra disp.* 14. Etenim pertinentes dicunt, quando ex vno ad alium bene arguitur. Si affirmatiue quidem, pertinentes sequela; ut: *est homo: ergo risibilis*; si negatiue verò, pertinentes repugnantia, ut: *est calidum: ergo non frigidum*. Bonitas autem consequentiæ ab vno ad alterum affirmatiue in connexionione; negatiue verò in oppositione vnius cum altero fundatur. Vnde, pertinentes repugnantia semper sunt mutuo tales: quia oppositio semper est mutua. Pertinentes au-

tem sequela aliquando sunt mutuo tales, quo casu dicuntur conuertibiles; aliquando verò non mutuo, quo casu dicuntur non conuertibiles quia connexionio aliquando mutua, aliquando non mutua est. Videantur cetera ad rem spectantia cum ceteris connexionionis, oppositionisque diuisionibus loco citato. Impertinentes verò terminos appellant Logici, qui inter se, nec connexionionem, nec oppositionem habent; proindeque ex vno ad alterum nec affirmatiue, nec negatiue licet arguere, ut *album*, & *dulce*.

QVÆSTIO III.

Quid sit suppositio termini:

& quomplex?

Suppositio termini est acceptio termini pro re, 22
quam significat, aut pro se. Cum enim, ut ait Arist. lib. 1. *Elench.* cap. 1. res ipsas in disputationem non possimus adducere, vocibus pro rebus per ipsas significatis vtimur, ut mediis illis de rebus ipsis disputemus, nisi disputatio sit de vocibus, quo casu voces à nobis pro se ipsis in disputatione accipiuntur. Quod ipsum est eas, aut pro rebus significatis, aut pro se ipsis inter disputandum supponi. Vnde patet, suppositionem termini vocalis dumtaxat affectionem, seu proprietatem esse.

Hinc suppositio imprimis diuiditur in materialem, & formalem. Materialis dicitur acceptio termini pro se ipso, ut cum dicimus: *Homo est vox*. Formalis verò acceptio termini pro re, quam significat, ut cum dicimus: *Homo est animal*. In primâ enim propositione terminus *homo* pro se ipso; in secundâ verò pro re quam significat, capitur. Quod ex diuersitate prædicati ipsi attributi venit diiudicandum. Porro, suppositio formalis alia propria est alia; impropria. Propria est usurpatio termini pro re, ad quam postea significandam primò est impositus, ut cum dicimus: *Homines ridet*. Impropria verò usurpatio termini pro re, ad quam postea significandam titulo alius habitudinis translatus est, ut cum dicimus: *Prata ridet*. Ridere quippe de hominibus propriè; de pratis autem dicitur translative. Rursus, suppositio propria, alia dicitur simplex; & est acceptio termini pro re, ut subest conceptui secundæ intentionis, ut, si dicas: *Animal est genus*. Alia dicitur personalis; & est acceptio termini pro re, ut subest conceptui primæ intentionis, ut, si dicas: *Animal est sensibile*. Quid sit autem conceptus secundæ intentionis: & quid primæ ex dictis q. 2. *diuisi.* 7. notum est.

Deinde suppositio personalis, alia singularis est; 24
alia communis. Singularis est acceptio termini singularis pro significato singulari. Communis autem acceptio termini communis pro significato communi, iuxta dicta de termino singulari, & communi q. 2. *diuisi.* 5.

Præterea suppositio communis in distributi- 25
nam, copulatam, determinatam, & confusam diuidi solet. Distributiva est acceptio termini communis pro omnibus, & singulis significatis suis sumptis diuisim, ut accipitur terminus *Homo*, cum dicimus: *omnis homo est risibilis*. Nullus homo est lapis. Quæ rursus aut est distributiva pars singula generum, id est, pro singulis significatis indiuiduis, ut in exemplis positus; aut pro generibus singulorum, id est, pro aliquo, vel aliquibus signifi-

ficatis indiuiduis singulorum generum, quo pacto supponitur distributivè terminus *Animal*, cum dicitur: *Omne animal fuit in arca Noë*. Quæ veraque, aut absoluta potest esse, hoc est, complectens omnia, quæ distribuit, uti in prioribus exemplis euenit, aut cum exceptione, hoc est, alienius exceptionem compatiens, uti euenit in posteriore. Copulata autem suppositio est acceptio termini communis pro omnibus suis significatis collectim, siue indiuisum sumptis. Qualiter accipitur terminus *Apostoli*, cum dicitur: *Omnes Apostoli Dei sunt duodecim*. Determinata verò suppositio dici à plerisque solet acceptio termini communis pro aliquo ex suis significatis vagè quidem, siue disiunctivè significato; sed quod re ipsa determinati, siue signari potest, ut cum dicimus: *Aliquis homo currit*. Vbi terminus *Homo* pro vno hominum significato indeterminatè, seu vagè accipitur; sed, cui re ipsa determinatè conuenit currere; & quæ ipsa subinde, quis ille sit, cui conuenit currere, determinari potest, atque signari. Hæc tamen suppositio ab aliquibus ob eam indeterminatam, seu vagam termini significationem confusa nuncupatur. Strictius tamen ab omnibus dicitur suppositio confusa acceptio termini communis pro significato ita confuso, ut neque determinari, neque signari possit re ipsa, ut cum dicimus: *Equis requiritur ad equitandum*. Nulli enim equo determinato conuenit absolute re verà requiri ad equitandum, pro nulloque subinde equo determinato, & assignabili accipitur terminus *equus* in dicta propositione; sed tantum pro equo sumpto confusè. Quod est suppositionem eius in tali propositione confusam esse. Qualis censetur etiam à multis suppositio prædicati, cuius subiectum affirmativè distribuitur, ut prædicati *Animal* in hac propositione: *Omnes homo est animal*; necnon suppositio subiecti, cuius prædicatum distribuitur affirmativè, ut subiecti *homo* in hac propositione: *homo domat omnia animalia*.

26 Ego verò cenfeo, duplicem suppositionis confusionem debere distingui. Alia enim, quæ confusio communitatis potest vocari, oritur ex vniuersalitate termini non distributi. Quo pacto dicitur supponi confusè prædicatum propositionis vniuersalis affirmatiuæ, ut huius: *Omnes homo est animal*. Et subiectum commune propositionis, cuius prædicatum affirmativè distribuitur, ut harum: *Homo omnia animalia domat*. *Caro arietina ubique terrarum comeditur*. *Piper venditur Teleti, & Martii*; & similia. Quo etiam spectat confusio termini communis, cui aduerbia numeralia iunguntur, ut in his. *Ter feci sacrum*. *Bis legi lectionem*, & similibus. Et vniuersè confusio cuiusvis termini communis, qui nec sumitur pro vno tantum inferiori, nec distribuitur pro pluribus. Alia verò, quæ confusio indeterminatæ poterit appellari, tunc reperitur, quando terminus communis accipitur pro vno tantum inferiori, non tamen determinato; sed vago, siue indeterminato. Quæ rursus duplex est. Alia enim est confusio indeterminatæ ex parte modi significandi dumtaxat; alia confusio indeterminatæ ex parte rei significatæ. Prima inuenitur, ubi terminus communis pro vno inferiore vagè sumpto vsurpatur, quod tamen illi attribuitur, alicui determinato re ipsa competere, ut cum dicimus: *Aliquis homo loquitur*, loquente re ipsa homine aliquo determinato, & assignabili. Secunda verò inuenitur, ubi terminus communis

ita pro vno inferiore indeterminatè sumpto vsurpatur, ut id, quod illi attribuitur, nulli determinato, & assignabili conueniat re ipsa absolute, ut cum dicimus: *Aliqua actio requiritur, ut effectus fiat*, nullà determinatà actione ad id re ipsa requisitā absolute, sed tantum vnā, vel alterā sub disiunctione. Vna autem *Missa præcepta est*, nullà determinatā *Missa* auditione re ipsa præcepta absolute. Paritè quæ in similibus. Quomodo verò in his casibus prædicatum nulli inferiorum subiecti communis re ipsa conueniens determinatè, & absolute, carens solum dicatur alicui eorum sub disiunctione, indeterminatè conuenire, quatenus cuius eorum determinatè, sub conditione tamen negationis aliorum conuenit, ex dictis disputat. 10. *question. 2. & 3.* liquidum est.

Ad sciendum autem, quo ex dictis modis vnusquisque terminus supponatur, istæ regulæ sunt. 1. Quoties subiectum propositionis afficitur signo nullus non solum subiectum ipsum, sed etiam prædicatum distribuitur; & vniuersum negatio quauis omnes terminos communes alios non distributos, quos post se siue immediatè, siue mediatè reperit, distribuit. Sic in hac propositione. *Non aliquis homo est lapis*; termini *homo*, & *lapis*; & in hac: *Aliquis homo non est lapis*; termini *lapis* distributivè supponuntur. 2. Signum *omnis* terminum, quem afficit immediatè, distribuit; quem verò mediatè, facit supponere confusè confusione communitatis, ut in exemplis supra positis cernere est; 3. Terminus communis sumptus pro collectione omnium, quæ sub se continet indiuisum, supponitur copulatè, siue ex parte subiecti propositionis, siue ex parte prædicati ita sumatur. 4. Signum *Aliquis* vel æquiualens facit supponere confusè confusione indeterminatæ solum ex parte modi significandi terminum communem, quem afficit tam mediatè, quàm immediatè, dum nulla præcedit negatio, aut signum distribuens. Sic enim in hac propositione: *Aliquis homo est animal* supponuntur tam *animal*, quàm *homo*. In his verò: *Aliquis homo non est aliquis lapis*, termini *lapis* distributivè supponuntur; Et in hac: *Omnes homo est aliquod animal*, terminus *animal* confusè confusione communitatis, perinde ac si signo *aliquis* non essent affecti. 5. Quando nulli contentorum sub termino communi conuenit determinatè, quod ei attribuitur; sed vni, vel alteri eorum sub disiunctione, tunc talis terminus supponitur confusè confusione indeterminatæ ex parte rei significatæ, ut terminus *oculus* in hac propositione: *oculus requiritur ad videndum*. 6. Termini æquiuales eodem genere suppositionis supponi censentur, quibuslibet deum signis, aut negationibus afficiantur alij præ aliis. Sunt autem termini æquiuales, qui idem obiectum significant æquiualesque faciunt propositiones, quas componunt, iuxta dicenda infra.

disp. 19. q. 2.

Porro ad resoluendas, ampliùsque subinde explicandas quatuor suppositiones communes commemoratas, totidem Descensus, Ascensusque connumerantur à Logicis. Nempe copulatiuus, copulatus, disiunctiuus, & disiunctus. Quorum primus, inquit, suppositioni distributiue correspondet, eique debetur; secundus suppositioni copulatiue; tertius suppositioni determinatæ; quartus suppositioni confusæ. Est autem descensus progressio

progressio à termino communi ad particularia sub eo contenta sufficienter enumerata: ascensus vero vice versâ progressio à particularibus sufficienter enumeratis ad terminum communem. Et quoniam conceptus obiectivus communis aliud non est re ipsâ à particularibus, quos amplectitur; atque aded quidquid realiter illi convenit, & his conveniat necesse est, atque è conuerso. Idcirco, ascensus, & descensus legitimæ quædam sunt argumentationes.

29 Itaque, bene sic arguitur: *Omnis homo est animal: Ergo hic homo est animal; & hic homo est animal; & hic homo est animal, &c.* aliquis omnibus pariter recensitis: atque item è conuerso. Similiter bene sic arguitur: *Nullus homo est lapis: Ergo neque hic homo est lapis; neque hic homo est lapis, &c.* pariter recensendo reliquos omnes atque item è conuerso. Qui sunt descensus, ascensusque copulati tum affirmatiui, tum negatiui suppositioni distributiue termini homo affirmatiue, & negatiue correspondentes, & debiti. Bene etiam arguitur: *Omnes Apostoli Dei sunt duodecim: Ergo hic Apostolus, & hic, & hic, &c.* numeratis omnibus, sunt duodecim: atque etiam è conuerso. Similiter: *Omnes Apostoli Dei non sunt viginti: Ergo hic Apostolus, & hic, & hic, &c.* numeratis omnibus, non sunt viginti: atque item è conuerso. Qui sunt descensus, ascensusque copulati tum affirmatiui, tum negatiui suppositioni copulatiue termini Apostoli affirmatiue, & negatiue correspondentes, & debiti. Bene etiam arguitur: *Aliquis homo currit: Ergo, vel hic homo currit, vel hic homo currit, &c.* pariter percurrendo per omnes: atque item è conuerso. Similiter: *Aliquis homo non loquitur: Ergo vel hic homo non loquitur, vel hic homo non loquitur, &c.* pariter per omnes percurrendo: atque item è conuerso. Qui sunt descensus, ascensusque disiunctiui affirmatiui, & negatiui respondentes, & debiti suppositioni termini Aliquis homo, quam plerique determinatam, nonnullis refragantibus, vocant; & nos suppositionem confusam confusione indeterminatæ ex parte dumtaxat modi significandi dicendum censemus. In quibus omnes Logici re ipsâ conspiciant. Et merito.

30 Dissentiunt tamen circa descensus, ascensusque, disiunctum, quem plerique indistinctè adscribunt suppositioni confusæ; negantibus tamen aliis; eo quod suppositioni confusæ, quam habet prædicatum propositionis vniuersalis affirmatiue, aliisque huiusmodi, non videtur quadrare posse. Quoniam enim bene arguatur: *Aliqua actio requiritur, ut effectus fiat: Ergo, vel hæc actio, vel illa, numeratis omnibus, requiritur, ut effectus fiat: atque item è conuerso; Qui sunt descensus, ascensusque disiuncti suppositioni confusæ termini Actio correspondentes, & debiti. At non bene arguitur. Similiter: *Omnis homo est animal: Ergo omnis homo est hoc animal, vel illud, vel illud, &c.* omnibus recensitis: Quia est antecedens verum, & consequens falsum. Falsum quippe est, omnem hominem esse vnum ex animalibus vage, siue indeterminatè sumptum, quod tale consequens significat. Quocirca, neque è conuerso bene arguitur. Vnde patet, suppositioni confusæ ter-*

Pharus, Scientiarum Tom. II.

mini Animal eiusmodi ascensus, descensusque disiunctum nec convenire, nec debere. Ergo, qui duas suppositiones confusas, præter eam, quam determinatam vocant communiter, paulò antea distinxi, facile diffidium hoc compono, asserendo, suppositioni confusæ confusione indeterminatæ ex parte rei significatæ descensus, ascensusque disiunctum prædictum convenire, & debere; secus suppositioni confusæ confusione communitatis. Pro hac enim, præter quatuor numeratos, reciprosque communiter, alius descensus, ascensusque adstruendus est, qui distributionis accommodari dici potest. Per quem dumtaxat bene descenditur, aut ascenditur à termino talem suppositionem habente ad inferiori eius, aut è conuerso in hunc modum: *Omnis homo est animal: Ergo omnis homo est hoc animal, & hoc animal, & hoc animal, &c.* omnibus numeratis per distributionem accommodandam, ita ut singulis hominibus singula animalia tribuantur. Similiter: *Ubique comeditur panis: Ergo ubique comeditur hic panis, &c.* recensitis omnibus per distributionem accommodandam, ita ut singulis locis singuli panes vnicuique suis tribuantur. Pariterque, è conuerso ascendendum; atque de cæteris huiusmodi philosophandum est.

Vnum hic superest adnotandum de termino negatiue distributo, prout communiter usurpatur videtur; nempe non descendendi ab eo legitime per solum descensus copulatiuum; sed opus esse duos simul descensus coniungere, copulatiuum videlicet, & disiunctum: id, quod etiam, dum ascenditur, seruandum est, ne detur antecedens verum, & consequens falsum. Si enim ita ascendamus: *Hæc actio non requiritur, ut effectus fiat, neque hæc requiritur, neque hæc requiritur, &c.* Ergo nulla actio requiritur, ut effectus fiat, antecedens est verum, & tamen consequens est falsum, iuxta communem sentiendi, & loquendi morem. Sicuti etiam est falsum dicere, nullam esse necessariam Dei gratiam ad consequendam vitam æternam: cum tamen sit verum dicere, hanc determinatam non esse necessariam, neque illam, neque illam, &c. numeratis omnibus. Ascensus igitur ita faciendus est. Gratia A non est necessaria ad salutem, neque est necessaria gratia B, neque gratia C, rursus neque est necessaria A, vel B, vel C, sub disiunctione: ergo nulla est necessaria gratia ad salutem: pariterque descensus faciendus est. Etenim negatio absolute prolata aded est malignantis naturæ, ut non solum soleat negare vnum de alio secundum se spectato; sed etiam quouis modo comparato cum aliis. Quo fit, ut quicquid negatur de termino distributo, non solum negatur de singulis in eo contentis secundum se absolute conceptis; sed etiam inter se comparatis per disiunctionem. Hæc dicta loquendo de termino negatiue distributo, prout communiter videtur sumi pro omnibus scilicet, & singulis in ipso contentis non solum determinatè; sed insuper disiunctiue, disiunctim sumptis. Si enim pro illis determinatè tantum sumptis sumatur, ut potest, atque etiam interdum solet, tunc illi ascensus, descensusque copulatiui tantum debiti erit.

Suppositioni adiungi solent aliæ quædam termini vocalis proprietates: nempe status, ampliatio, restrictio, K. et alio platio.

platio, restrictio, distractio, alienatio, diminutio; remotio, & appellatio. Quorum omnium explicatio eò tendit, ut innotescat, quo sensu unusquisque terminus, praesertim communis accipitur. Hoc tamen sufficienter ex circumstantiis innotescit, quin opus sit tot vocabulis, totque regulis sub eis contentis audientis, siue legentis mentem obstruere. Ob id eas omitto apud summulistas videndas.



DISPUTATIO XIX.

De propositionibus.



PROPOSITIONES tum obiectivae, tum formales, & quae tum mentales, tum vocales, aut ore prolatae, aut scriptae, quae veluti materia sunt, unaqueque suo modo, ex qua omnis scientia humana compingitur, materia sunt etiam non ex qua, sed circa quam disputatio praesens veritur.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit propositio;
& quotuplex.

PROPOSITIO (quam aliqui enunciationem appellant) ex Aristot. lib. primo, Periherm. capit. quarto, sic definitur solet: *Est oratio, in qua verum, vel falsum est.* Tum ex eodem lib. primo, Prior. capit. primo, *Est oratio aliquid affirmans, vel negans.* Melius tamen alij, ut fugiant in definiendo disunctionem distinguentem potius species definiti, ipsi summe in illas diidentem, quam explicantem ipsius naturam talibus speciebus communem, ita definiunt: *Est oratio enuntians aliquid de aliquo, id est, suadens aliquid de aliquo, siue alicuius de aliquo suavis ex suo proprio modo tendendi.* Hoc namque, & omni propositioni est commune, & eam sufficienter discriminat ab omni non propositione. Ex quibus definitionibus (quarum prima descriptiva, secunda autem, & tertia quiditativa censetur, unaqueque suo modo) satis superque apparet, quid sit propositio formalis, vocalis, & scripta, aut etiam mentalis. Propositio autem obiectiva aliud non est ab obiecto propositionis formalis.

Iam verò propositio, formalis sumpta universè primò dividitur in affirmativam, quae affirmando ponit aliquid in rebus, ut *Petrus currit*; & negativam, quae remouet aliquid negando, ut *Petrus non legit*. Quarum utraque rursus, aut erit vera, si sit conformis suo obiecto, aut erit falsa, si sit difformis, iuxta dicta latè de veritate, & falsitate propositionum. tum formalium, tum obiectiviarum supra disputatione tertia. Quae ad rem videnda. Propositionum quippe obiectiviarum aliae verae sunt veris for-

malibus correspondentes; aliae falsa correspondentes falsis formalibus: sicut etiam aliae sunt positivae correspondentes formalibus affirmativis, aliae negativae correspondentes negativis formalibus.

Deinde, propositio formalis sumpta etiam universè in absolutam, seu categoricam, & conditionatam, seu hypotheticam est dividenda. Prima est, quae absolute enuntiat aliquid de aliquo, ut *Petrus currit*: *Petrus non legit*. Secunda, quae sub aliquâ conditione, siue sub aliquâ factâ hypothese enuntiat aliquid de aliquo, ut, si *Petrus curreret*, *moveretur*: si *Petrus non videret*, *non legeret*. Utraque autem rursus in simplicem, & complexam dividenda venit. Simplicem dico, quae ex pluribus propositionibus non est composita, ut cernitur in exemplis positis. Complexam autem appello, quae ex pluribus propositionibus composita est, ut cernitur in his: *Petrus currit, & Ioannes ambulat*: si *Petrus curreret*, *Petrus moveretur*, & *Ioannes cerneret*. Complexa verò propositio rursus dividitur à Logicis in copulativam, causalem, & rationalem. In multasque alias equali rure diuidi possit, atque etiam in mixtas ex illis, combinatione factâ. Copulativa est, quae plures propositiones, seu categoricas, seu hypotheticas coniungit per particulam &, aut æquivalentem, ut in exemplis positis. Disiunctiva, quae plures pariter disiungit mediâ particulâ *vel*, aut simili, ut *Petrus currit, vel Ioannes legit*: si *Petrus curreret*, *Ioannes gauderet*, *vel non gauderet*. Causalis est, quae mediâ particulâ *quia*, vel æquivalente indicat, obiectum vnius propositionis esse causam obiecti alterius, idque, vel categoricè, vel hypotheticè, ut: *Quia Petrus currit, movetur*: si *Petrus curreret*, *quia curreret*, *moveretur*. Rationalis denique est, quae mediâ particulâ *ergo*, vel simili indicat obiectum vnius propositionis sequi ex obiecto alterius; id tamen solum cernit categoricè, ut, *Petrus currit*: *ergo movetur*. Aliae autem innominatae diuersae à praedictis huiusmodi sunt: *Dum Petrus legit, Ioannes audit*: *Quandiu Petrus laborat, Ioannes quiescit*: *Vbi est magister*; *ibi est discipulus*: sicut *vnus ambulat, ita, & alter*; Et similes. Adde, hypotheticam propositionem trifariam posse esse complexam; idque, vel copulatiuè, vel disiunctiuè, vel causaliter, vel mixtè. Primo, ex parte conditionati tantum, ut in exemplis supra positis. Secundo, ex parte conditionis tantum. Tertiò, ex parte vtriusque. Quòd hypotheticarum complexarum plurimae aliae species pullulant.

Scio: Logicos communiter aliter diuidere propositionem in categoricam, & hypotheticam. Eam enim solam categoricam dicunt, quam nos categoricam simplicem appellauimus: sub hypothetica autem comprehendunt tum dictam à nobis simplicem hypotheticam; tum quatuor complexas supra relatas coalescentes ex categoricis, copulatiuam scilicet, disiunctiuam, causalem, rationalem. Aliarum autem complexarum mentionem non faciunt. Cæterum diuisioni à nobis facta prorsus videtur standum: quia Logici in suâ peccant dupliciter. Primò: quia vocabulo *hypothetica* abutuntur, vtpote, quod solum dicitur proprie de conditionatâ; secus de reliquis. Secundo: quia diminutè procedunt, cum